Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



mat

bis gallus vocet dedit. ter me es negaturus. Et ille amplius loquebatur
et si oportuerit me simul commori tibi non te negabo. Similiter autem et omnes
dixerunt. Et venerunt in predium cui nomen getheymani. et ait discipulis
suis. Sedete hic donec oret. Et assumpsit petrum et iohannem
et iacobum secum. et cepit tedere et pauere. et ait illis. Tristis est anima
mea usque ad mortem. sustinete hic et vigilate mecum. Et cum processisset paululum
parum et cecidit super terram et orabat ut si fieri possit transiret ab eo
hora. et dixit. Abba pater omnia possibilia sunt tibi. transfer calicem
hunc a me. sed non quod ego volo sed quod tu. Et venit. et invenit
eos dormientes. Et ait petro. Simon dormis. non potuisti una
hora vigilare mecum. Vigilate et orate ut non intretis in temptationem.
Spiritus quidem promptus est. caro autem infirma. Et iterum abiens. oravit
eundem sermonem dicens. Et reversus denuo invenit eos dormientes.
Erant enim oculi eorum gravati et ignorabant quid responderent ei. Et
venit tertio. et ait illis. Dormite iam et requiescite. sufficit. venit hora
ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite eamus. ecce qui
me tradit prope est. Adhuc eo loquente. venit iudas scariothes unus
de duodecim. et cum eo turba multa cum gladiis et lignis missi
a principibus sacerdotum et scribis et senioribus. Dederat autem
traditor eius signum. dicens. Quem osculatus fuero. ipse est
tenete eum et ducite cautum. Et cum venisset. statim accedens ad eum
ait. Rabbi. Et osculatus est eum. At illi iecerunt manus in eum
et tenuerunt eum. Unus autem de circumstantibus educens gladium
percussit servum principis sacerdotum et abstulit illi auriculam. Et re
spondens iesus ait illis. Tamquam ad latronem existis cum gladiis et lignis comprehendere me. cotidie apud vos eram in
templo docens. et non me tenuistis. Sed ut adimplentur scripture
tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt. Adolescens autem quidam
sequebatur eum amictus sindone super nudo. et tenuerunt eum.
At ille relicta sindone nudus profugit ab eis. et adduxerunt
eum ad principem sacerdotum. Et convenerunt in unum omnes scribe et
sacerdotes. et principes. Petrus autem a longe secutus est eum
usque intro in atrium principis sacerdotum. et sedebat cum ministris et
calefaciebat se ad ignem. Summi autem sacerdotes et omne concilium
querebant adversum iesum testimonium ut eum morti traderent.